

Dissertatio inauguralis oeconomico-medica de scabie ovium ... / [Christian Gottlieb Reuss].

Contributors

Reuss, Christian Gottlieb, 1742-1815.
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Litteris Sigmundi, [1763]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xvqbuu8v>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

17

DISSERTATIO INAUGVRALIS
OECONOMICO - MEDICA
DE
SCABIE OVIVM,

QVAM,
DEO CLEMENTER FVVANTE,
CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE,
PRÆSIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO atque EXPERIENTISSIMO,
DOMINO
GEORGIO FRIDERICO
SIGWART,

PHILOS. ET MED. DOCT. CHIRVRG. ET ANAT. P. P. O.
MEDIC. AVLIC. WIRT. FACVLT. MED. SEN.

EIVSDEMQUE
h. t. DECANO SPECTATISSIMO,
PRÆCEPTORE SVO ET PATRONO ÆTERNVM PIE
COLENDO,

PRO DOCTORIS GRADV
D. DEC. A. MDCCLXIII.

H. L. Q. C.

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIT
AVCTOR RESPONDENS

CHRISTIANVS THEOPHILVS REVSS,
Sulzensis.

Tubingæ LITTERIS SIGMVNDI.

J. H. Hege

LIBRO DE LAS

GEORGE B. BROWN

1871-72

UNITED STATES OF AMERICA

10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35 36 37 38 39 40 41 42 43 44 45 46 47 48 49 50 51 52 53 54 55 56 57 58 59 60 61 62 63 64 65 66 67 68 69 70 71 72 73 74 75 76 77 78 79 80 81 82 83 84 85 86 87 88 89 90 91 92 93 94 95 96 97 98 99 100 101 102 103 104 105 106 107 108 109 110 111 112 113 114 115 116 117 118 119 120 121 122 123 124 125 126 127 128 129 130 131 132 133 134 135 136 137 138 139 140 141 142 143 144 145 146 147 148 149 150 151 152 153 154 155 156 157 158 159 160 161 162 163 164 165 166 167 168 169 170 171 172 173 174 175 176 177 178 179 180 181 182 183 184 185 186 187 188 189 190 191 192 193 194 195 196 197 198 199 200 201 202 203 204 205 206 207 208 209 210 211 212 213 214 215 216 217 218 219 220 221 222 223 224 225 226 227 228 229 230 231 232 233 234 235 236 237 238 239 240 241 242 243 244 245 246 247 248 249 250 251 252 253 254 255 256 257 258 259 260 261 262 263 264 265 266 267 268 269 270 271 272 273 274 275 276 277 278 279 280 281 282 283 284 285 286 287 288 289 290 291 292 293 294 295 296 297 298 299 300 301 302 303 304 305 306 307 308 309 310 311 312 313 314 315 316 317 318 319 320 321 322 323 324 325 326 327 328 329 330 331 332 333 334 335 336 337 338 339 340 341 342 343 344 345 346 347 348 349 350 351 352 353 354 355 356 357 358 359 360 361 362 363 364 365 366 367 368 369 370 371 372 373 374 375 376 377 378 379 380 381 382 383 384 385 386 387 388 389 390 391 392 393 394 395 396 397 398 399 400 401 402 403 404 405 406 407 408 409 410 411 412 413 414 415 416 417 418 419 420 421 422 423 424 425 426 427 428 429 430 431 432 433 434 435 436 437 438 439 440 441 442 443 444 445 446 447 448 449 450 451 452 453 454 455 456 457 458 459 460 461 462 463 464 465 466 467 468 469 470 471 472 473 474 475 476 477 478 479 480 481 482 483 484 485 486 487 488 489 490 491 492 493 494 495 496 497 498 499 500 501 502 503 504 505 506 507 508 509 510 511 512 513 514 515 516 517 518 519 520 521 522 523 524 525 526 527 528 529 530 531 532 533 534 535 536 537 538 539 540 541 542 543 544 545 546 547 548 549 550 551 552 553 554 555 556 557 558 559 560 561 562 563 564 565 566 567 568 569 570 571 572 573 574 575 576 577 578 579 580 581 582 583 584 585 586 587 588 589 590 591 592 593 594 595 596 597 598 599 600 601 602 603 604 605 606 607 608 609 610 611 612 613 614 615 616 617 618 619 620 621 622 623 624 625 626 627 628 629 630 631 632 633 634 635 636 637 638 639 640 641 642 643 644 645 646 647 648 649 650 651 652 653 654 655 656 657 658 659 660 661 662 663 664 665 666 667 668 669 670 671 672 673 674 675 676 677 678 679 680 681 682 683 684 685 686 687 688 689 690 691 692 693 694 695 696 697 698 699 700 701 702 703 704 705 706 707 708 709 710 711 712 713 714 715 716 717 718 719 720 721 722 723 724 725 726 727 728 729 730 731 732 733 734 735 736 737 738 739 740 741 742 743 744 745 746 747 748 749 750 751 752 753 754 755 756 757 758 759 760 761 762 763 764 765 766 767 768 769 770 771 772 773 774 775 776 777 778 779 780 781 782 783 784 785 786 787 788 789 790 791 792 793 794 795 796 797 798 799 800 801 802 803 804 805 806 807 808 809 810 811 812 813 814 815 816 817 818 819 820 821 822 823 824 825 826 827 828 829 830 831 832 833 834 835 836 837 838 839 840 841 842 843 844 845 846 847 848 849 850 851 852 853 854 855 856 857 858 859 860 861 862 863 864 865 866 867 868 869 870 871 872 873 874 875 876 877 878 879 880 881 882 883 884 885 886 887 888 889 890 891 892 893 894 895 896 897 898 899 900 901 902 903 904 905 906 907 908 909 910 911 912 913 914 915 916 917 918 919 920 921 922 923 924 925 926 927 928 929 930 931 932 933 934 935 936 937 938 939 940 941 942 943 944 945 946 947 948 949 950 951 952 953 954 955 956 957 958 959 960 961 962 963 964 965 966 967 968 969 970 971 972 973 974 975 976 977 978 979 980 981 982 983 984 985 986 987 988 989 990 991 992 993 994 995 996 997 998 999 1000 1001 1002 1003 1004 1005 1006 1007 1008 1009 1010 1011 1012 1013 1014 1015 1016 1017 1018 1019 1020 1021 1022 1023 1024 1025 1026 1027 1028 1029 1030 1031 1032 1033 1034 1035 1036 1037 1038 1039 1040 1041 1042 1043 1044


1855-2.



P R Æ F A T I O.

Medicina quidem speciatim circa humanum corpus
ejusque sanitatem, generatim tamen circa oeco-
nomiam, brutorum quoque, animale[m] versatur;
nec indignum est Medico, morbos, quibus ista obnoxia
sunt, perspectos, rectamque illis medendi rationem ex-
ploratam habere, quamvis sint, qui talia ad veterinarios
solummodo spectare, & Medicum tantum non dedecere
arbitrantur.

Vti Zootomia haud exiguam lucem cognitioni cor-
poris humani affundit; ita & tam quoad Pathologiam,
quam medendi rationem, inter hominum & brutorum
corpora magna intercedit analogia. Inde est, quod *Col-
legia*, quæ vocant, *sanitatis*, eam quoque in rem curas &
cogitationes suas convertunt, ut salutem hominum non so-
lum, sed brutorum quoque vitæ & sanitati prospiciant,
& si qua lues grassari cœperit, stragem inde imminentem,
quantum fieri potest, avertant.



Inter varia illa pecorum genera, quibus ad victum & amictum utimur, haud infimum locum lanigeri tenent greges. Vna enim Wirtembergia nostra bis centum millia ovium alit. Tanto major ergo morborum, qui illos infestant, & detrimenti inde redundantis, habenda est ratio. Omnium vero & frequentissimum & perniciosissimum malorum genus *scæda scabies* est. Vix annum præterire videas, quin infesta hæc lues unum alterumve gregem in Ducatu nostro invadat.

Procul dubio nullo non tempore, vel insciis Magistratibus, varii generis remedia, ad malum hoc, hætenus immedicabile fere habitum, depellendum adhibita sunt.

Factum inde est, ut leges ipsæ, publicæ quoque, scabie infectos greges, ne malum latius serperet, ex terris nostris expellerent, & ovium ejusmodi unius anni spatium, octo, decem, quindecim millia, insigni certe civium detrimento, educerentur, à Rheni accolis, vilitate pretii allactis, avide exceptarum.

Excitavit hoc Serenissimi Ducis nostri, subditorum salutem summo studio procurantis, vigilantiam, ut à Poliatis haud paucis morbi hujus indolem sollicitius investigari, & vel consilia, vel remedia, si quæ ipsis innotuerint, cum Collegio Sanitatis communicari, annis proxime elapsis clementissime juberet. Ex eo tempore, publice jam proposito hoc problemate, haud paucis in locis, in gregibus scabiosis hunc in finem asservatis, experimenta complura publica auctoritate instituta sunt. Quæ consilia & remedia quum *Parens Optimus*, Collegio, cui Sanitatis cura indulgentissime demandata est, adscriptus, mihi aperuisset, suorumque ipsius Experimentorum compotem me fecisset, excitatus & ipse sum, ad meditationes

❧ ❧ ❧

5


tiones meas qualescunque eam in rem dirigendas. Tandem vero, re penitus peruestigata, cum *Disputatio Inauguralis* conscribenda esset, in Themate isto diligentius elaborando, haud male operam me collocaturum esse speravi.

Quod DEVS O. M. bene vertat!

§. I.

Secundum observationes opilionum Scabiei suspicionem movent oves, quæ loco cuicumque idoneo, arboribus, parietibus &c. sese affricant, pedibus calcitrant, lanam morfu intricant, sicque pruriginem produnt. Lana matutino rore madefacta, eo in loco, ubi scabies subtus later, celerius quam in reliquis partibus, ad ficcitatem redit, aperto indicio, extantior ibi caloris gradum adesse.

§. II. Lanâ diductâ, in conspectum veniunt maculæ & squamulæ hispidæ, ficcæ, distinctæ, ex albo flavescentes, incipiente scabie vix lentis vel crucigeri magnitudinem æquant, cuti intime adhærentes, quibus abrasis cutis ipsa subtus rubella apparet, eâque vel leviter cultro sauciata, subflavus, pinguiusculus liquor exstillat, squamarum procul dubio, quas dicunt vernac. (*wachsmâßige Rufen*) origo. Hæ temporis tractu in maiorem subinde crassitiem & latitudinem sese extendunt, crustas formant, ita tamen, ut in cute deprehendas loca intermedia, nullo contaminata vitio. Certum eruptionis locum in corpore non habent, sæpius tamen in dorso & corporis parte posteriore versus caudam primum erumpunt, tum latera, regionem abdominis & colli occupant, ut præter ubera, & internam scapularum femorumque superficiem, nulla corporis pars eis obnoxia non sit. Lana sponte non excidit, evellitur vero quandoque, vel fricando sæpe, vel morfu scalpendo; tum super crustas lana subnascitur, pilorum instar tenuis,



nuis, rigida, quam vocant, *Spisphaare*. Cæterum oves præter inquietudinem & pruriginem hætenus nulla ægritudinis signa præ se ferunt, immo bene pastæ, corporis incrementum & saginationem admittunt.

§. III. In augmento morbi, quo squamæ ad majorem crassitiem & latitudinem pervenerunt, color cutis antea rubellus, in albidiorum mutatur, eademque sicciorem, hispidiorem, duriusculam, & quasi callosam tactui sese offert. Ac jam quidem ob continuam inquietudinem & pruriginem graciles cere oves, & insigni quodam torpore affici animadvertes. Si quando colli regionem occupat scabies, ex nimia pellis duritie & callositate capitis flexio difficilior redditur. Hæc fere præcipua hujus morbi signa dixeris.

§. IV. Ut vero interior quoque cutis & viscerum detegeretur conditio, necabantur oves nonnullæ, haud infimo scabiei gradu infectæ. Pelle detracta, inventum est, quod callositas pergaminea quasi, & dimidium adeo pollicem crassitie æquans, ad membranam adiposam usque, adeoque per totam cutis substantiam penetraverit. Porro in tela cellulosa exigua quantitas sanguinis extravasati, vasa sanguinea cutis internæ infarcta, puncta præterea & stigmata, quæ vel leviter incisa sanguinem fundebant, comparuerunt. Cutis insuper ipsa dissecta parva exhibebat corpuscula granulata, quæ obstructæ & tumidæ glandulæ subcutaneæ esse, dictamque cutis callositatem efficere videbantur. Sanguis, è vasis majoribus emissus, naturali similis, & partes musculosæ, æque ac viscera medii infimique ventris labis nullius suspectæ erant. *)

Addi

*) Ellis contra *Promptuar. Hamburg. Tom. V. p. 122 — 127.* labem putridam & purulentam hepatis cum scabie conjunctam esse, asseverat. Errorem autem in translatione germanica commissum esse, clare detegitur à Schrebero in *Sammlungen oekonom. Wissenschaften*, quod Ellis non de Scabie, sed de labe hepatis & pulmonum agat.

Addi denique meretur & hæc observatio, quod eæ pellis partes, quibus callositatem induxit scabies, ordinariam coriariorum laborem non admittant.

§. V. Phænomena fusius hucusque recensita, communi Observatorum testimonio in Wirtembergia nostra frequentissime occurrunt, & illius Scabiei signa constituunt, quæ omnium consensu vocatur *Scabies sicca*.

§. VI. Innotuit vero & alia scabiei species, quæ *humida* dicitur. Præter signa generalia §. 1. jam descripta hæc sibi hoc proprium habet, quod sub crusta plerumque crassiore, si abraditur, liquor coloris modo flavi, modo viridescentis contineatur, quandoque tam spissus, ut expressus foraminulum post se relinquat. Præter crustas autem passim etiam observantur pustulæ parvæ, sero acri in externa cutis superficie repletæ, quod facta frictione exstillat, ut lana inde madefiat. Sub crusta scabiosa cutis coloris lividi, quasi sugillati, ejusque crassities, pro morbi incremento aucta, si cultro inciditur, ichorem flaviusculum plorans comparet. Musculosæ partes in dissectis ovibus pariter, uti omnia reliqua viscera, sanæ deprehendebantur.

§. VII. Neque hæc species certum eruptionis locum obtinet, sæpius tamen à dorso, & colli regione incipit. Lanæ defluvium post aliquot menses in locis affectis sponte succedere solet. Incrementum mali celerius in hac, quam in sicca scabie esse solet.

§. VIII. Pater ex supra dictis, intercedere quidem inter utramque scabiei speciem differentiam; at plurima tamen Symptomata esse communia, quibus annumerari adhuc maxime meretur illud, & notissimum & infensissimum, quod scabies tam sicca, quam humida, sit contagiosa.

§. IX. Distinctio inter humidam & siccam eandem rationem habere non videtur, quam scabies hominum *benigna*, utpote quæ diversitate tantum subjectorum nititur, quum, supposito eodem contagio, humida in habitum corporis spongiosum, sicca in habitum corporis strictiorem, adeoque in tempera-



peramenta & ætates iisdem respondentia potius cadat. De ovibus contra experientia annorum proxime elapsorum docuit, in uno eodemque grege, quem invasit scabies, oves non promiscue vel humidâ vel sicca laborare, sed vel siccam, vel humidam tantum pati. Non ergo utriusque scabiei fermentum pro uno eodemque, sed utrumque propriæ indolis habendum esse videtur.

§. X. Si comparisonem instituere lubeat inter morbos ovium & hominum, multum similitudinis deprehenditur inter scabiem ovium, siccam imprimis, & a) scabiem ferinam hominum, quam FRIDER. HOFFMANNVS, Med. System. Tom. IV. P. V. p. 187. ita describit. "Est squamosa atque crustosa, post cuticulæ vel escharæ abrasionem, stigmata sub cute cruenta relinquens, accedente calore dolorificum & vix tolerandum adfert pruritum,, &c. b) Imperiginem Plinii, de qua Excell. D. Prof. OETINGERI in Dissert. de Achorum insitione §. 12. verba hæc sunt. "Est modo siccior, modo humidior, format callosas in cute durities, in excoriationes, & tandem escharas siccas desinentes; serpit longe lateque, & si confricatur, serum acre paucum manat" &c. Comparatio hæc posterior imprimis partis capillatæ cum pelle lanifera non male fieri videtur.

§. XI. Non nullius momenti, therapeutico imprimis respectu, est utriusque scabiei divisio in *incipientem* & *inveratam*.

§. XII. Si quæ aliæ adhuc scabiei varietates in regionibus præsertim nostrâ calidioribus occurrant, qualis v. g. pustulis viridescentibus, magis virulentis narratur, jam iis quidem non moramur, cum ea saltim scabies in disquisitionem nostram cadat, quæ in terris nostris obvia est.

§. XIII. Minus vero præterire licet, quod subinde etiam apud nos cutis quidam morbus observetur, qui non satis peritis facile imponere, & scabiem mentiri solet. Accidit nempe, ut maculetur ovium cutis squamis albescentibus, furfuraceis, in regione dorsi & pectoris potissimum. Differunt autem

tem à verâ ovium scabie in eo, quod contrectatæ doloris magis quam pruriginis sensationem prodere videantur oves. Sub squamis istis cutis sanæ similis est, & callositatis expers, si excipias leves quandoque fissuras, sublimata conglomerata conspicuas. Modo dicta vero cutis inquinamenta neque serpunt, neque contagium secum ferunt; sed oborta sicca & calida aëris temperie sponte iterum evanescent. Ex diuturna pluvia, & pulvere, æstivo tempore cuti copiose illapso originem ducere putantur, & germanico Idiomate *Regensfäule*, *Regenraude*, appellantur.

§. XIV. Innotuit proximo autumno & alius quidam cutis morbus, nostris quidem ovibus alias rarior, quem, ob convenientiam cum variolis hominum, non immerito variolas ovium, *Schafpocken*, appellaveris. Observabantur oves languore, anorexia, & decremento virium corripitur, erumpentibus post aliquot dies, in capite, super frontem, juxta aures & scapulas, exanthematibus rubentibus, sese in pustulas, crucigeri magnitudine, sensim sensimque elevantibus, suppurantibus, quæ spatio aliquot hebdomadum, exsiccatae squamas relinquebant, post aliquot dies deciduas, relictis maculis in cute lævibus. Reliquæ corporis partes ab efflorescentiis manserunt immunes. Ex grege, centum & octoginta ovibus constante, sexaginta dicto morbo laborarunt, decem perierunt, reliquæ partim auctoritate naturæ, partim sub usu pulveris ex tribus partibus Rad. Enulæ. Flor. Sulphur. una, cum sale dati evaserunt. Variolarum itaque ovium morbus à scabie in eo differt; quod ille 1) sit morbus potius acutus, quam chronicus, & brevi tempore exitum vel felicem, vel quandoque lethalem habeat. 2) Quod crustæ, non tam ex ulceratione chronica, quam inflammatione & suppuratione ortæ, sponte decendant. Vtrum descriptus hic morbus epidemica solum ratione, ex injuria tempestatis, vel pabuli noxa; an etiam per modum contagii, pluribus eodem tempore communis factus sit, determinare non ausim. Memoratu digna extat observatio de variolis ovium in Schreberi *Sammlung Oeconom. Wissenschaften*.



ten. P. I. p. 122. quæ oves instinctu naturali in filiquis immaturis piperis Indici, (fructu rubro, pendulo, longissimo) invenisse docet.

§. XV. Provenit scabies in ovibus junioribus æque ac vetustioribus, utriusque sexus, idque nullo non anni tempore; edocuerunt tamen observationes, annis elapsis factæ, plurimos greges, autumnali maxime tempore, & per hyemem usque ad vernum tempus eâ laborasse.

§. XVI. Inquirentibus in causas scabiem producentes ingentem earum farraginem allegare norunt opiliones. Persuadent sibi, originem deberi insectis variis, pediculis, quin dumentorum aculeis vulnuscule excitantibus. Accusant insuper pecorum aliorum, ut: Suum, anserum in eadem stabula vel pascua admissionem, excrementa gallinarum, equorum, urinas hominum, &c. opinantes, fordes quascunque ovibus, munditiei assuetis, esse infestas. Culpam quoque conjiciunt in rores nocivos. At vero pleraque ex recensitis fundamento carere, & non nisi præjudiciis niti videntur.

§. XVII. Majori sine dubio causarum prædisponentium locum tuentur:

a) Pluviosa frigido-humida, autumnali maxime tempore (confer. §. 15.) invalescens tempestas.

b) Æstate, pascua in locis planis, udis, paludosis, umbrosis, imprimis si accedit, ut sale debito oves defraudentur: Hyeme pabulum manu adeo avara datum, ut macie fere contabescant, & omni pinguedine exuantur; Vnde nomen: Hunger-raude. De duplici hac causa mentionem porissimum agit Ellis in Promptuario Hamburg. Tom. V. Part. II. p. 114 — 142.

Quantum enim à se invicem distent plantæ, terræ nutriticis diversitate, & temporis ac tempestatis varietate; vel uvido, palustri solo prognatæ, quo imprimis tempore succis abundant aquosis, liquidis, salinis, vel montanis ortæ locis, quæ, postquam æstatis expertæ fervores sunt, diffolata aqua, spiritu & sale, pingui præcipue oleo scatent: egregie illustratur Boerhav. Elem. Chym. Tom. II. pag. XI.

c) Nec

c) Nec sine damno fieri potest, quin oves hyemali tempore, ubi per noctes stabulis humidis, angustis detentæ, interdium frigori intenso exponuntur, à subitanea aëris calidi in frigidum mutatione, transpirationis suppressionem experiantur.

§ XVIII. Omnium vero certissima originis & frequentissima propagationis scabiei causa est contagium, ita ut in tritum abierit proverbium:

Grex totus in agris

Vnius scabie cadit. &c.

Ein räudig Schaaf steckt die ganze Heerde an.

Ea autem indoles ipsius est contagii, ut inde propagetur scabies quandoque lente, & indicia tantum exigua scabiosæ eruptionis diu quasi persistere possint, sensim sensimque unam duntaxat alteramve ovem invadendo; quandoque vero tam celeriter irruat, ut brevi tempore fere totum gregem infectum videas. Modus inficiendi non difficilis est conceptu: Oves quippe confertim in stabulis & præsepiis aggregatæ sese mutuo contingunt, scabiosæ variis locis se affricando, §. 1. non nihil materiæ scabiosæ deponunt, quem eundem sana deinceps petens, virus in se quoque recipit. Fieri autem potest, ut communicatum fermentum scabiosum per plures adhuc dies in cute delitescat, priusquam prorumpat, & scabiei forma in conspectum veniat. Veritatem hujus asserti probat casus à Viro quodam attento & fide digno mihi relatus: Inspexit ille ovem quandam scabiosam, locumque affectum unguibus fortiter contractavit; facto per duo milliaria itinere, aliam sanam alius gregis illotis iisdem digitis & unguibus improvide tetigit, quatuordecim diebus post eo ipso antea tacto loco scabiem exortam expertus est. Analogum effectum variolosum comprobatur fermentum, utpote quod, facto vulnuscule, cuti hominis, ad istud recipiendum idonei, immissum, post septem plerumque dies variolas demum gignit.

§. XIX. Observationes annis proxime elapsis factæ certiores nos reddiderunt, agnos multos scabiosarum matrum, esse



neque fugendo eas, neque contrectando, morbi hujus factos esse participes, adeoque virus scabiosum mediante lacte aut non communicatum, aut digestionibus & functionibus naturalibus agnorum immutatum, noxiaque qualitate exutum fuisse.

§. XX. Explanatis jam, quæ attenta observatione collegimus, signis diagnosticis & causis antecedentibus, remotis, non difficile erit, proximam morbi causam eruere, ut intelligamus, quæ mutationes in œconomia animali accidunt, quibus morbus ipse gignatur. Cutem in hoc morbi genere potissimum affici & depravari ex §. 2 — 4. 6. patet. Ante omnia ergo ea, quæ de ipsius structura & functione Physiologi tradunt, hic repetenda sunt. Vid. BOERHAV. instit. med. p. 199. cum HALLERI prælect. in ejusdem Institut. Tom. III. p. 505. seqq. Sufficiat nobis allegasse, quod contexta sit a) ex arteriis sanguiferis & lymphaticis, humorem tenuem, odorum, salsum, exhalantibus. b) Venulis pariter sanguineis & lymphaticis patentibus, inhalantibus, revehentibus. c) Meatibus unctuosiss, qui pingua exhalant, cuti leniendæ idonea, & quæ colligi, stagnare, & in pastam abire possunt. d) Glandulis in parte interiori cutis, miliaribus, per vascula emissaria humores excrementitios sudantibus, ex quibus, vel folliculis pinguedini interpositis, uti maxima pars pilorum, sic verosimiliter lana provenit. e) Nervulis, qui quoad partem medullarem sensibilitatem, quoad involucrum exterius epidermidem, & stamina alius generis pilorum, nescio an etiam lanæ, dare creduntur. Cujus structuræ beneficio cutis organum constituit, & transpirationis humorum tenuiorum, aquoso - salforum excrementitiorum, & copiosæ depositionis humorum laudabilium, lanæ incremento dicaturum.

§. XXI. Quod si ergo contingit, ut ex alimentis crudioribus, austeris, acidis, minus digestis, parum oleosis, accumulentur humores vitiosi, seroso - lymphatici, falsi, §. XVII. humido - frigida insuper tempestate diuturna accedente, depuratio ab emunctorio cutis exspectanda, minus libere succedat, tum humores illi peccantes, lege œconomiae animalis, ad cutem


tem pulsi, in vasis supra dictis sanguineis, lymphaticis, meatibus unctuosus & glandulis subcutaneis, collectiones, stases, obstructions, infarctus producant. Sicque *causam* concipimus mali, de quo agimus, *proximam*. Humores illi, naturali circulo destituti, stagnantes, partim quiete, & motu intestino, sponte in corruptionem tendunt; partim viribus corporis vitalibus contra eosdem insurgentibus, scirrhescentiam, suppurationem, exulcerationem, itaminum solidorum tenellorum destructionem, liquidorum exstillationem, sicque squamarum eschararumque formationem gignunt, & *morbum ipsum ex causa interna* ortum ita conspicuum reddunt.

§. XXII. Materia ulcerata in escharas exsiccata singulari attentione digna est. Non habemus hic simplex pus, aliàs laudabile dictum, quale inflammationes partium sanguinearum insequi solet; neque simplicem ulcerationem, qualis e. g. cantharidibus excitatur, sed habemus humorum corruptionem plane singularem, quæ per quadruplicis humoris concursum, sanguinis nimirum, feri excrementitii, lymphæ nutritiæ, & pinguis unctuosus, de putrida & rancida æque, ac acri, & salsa qualitate participat.

Neque vero materia scabiosa formaliter, si ita loqui licet, in humorum massa præexistit, sed in cute demum nascitur.

§. XXIII. Semel autem nata, mira sese propagandi prædita est efficacia, humores in sanis quoque ovibus in sui naturam mutandi, & cuti earum simile vitium affricandi. Hoc enim modo datur *scabies à causa externa*, quæ frequentior esse solet, quam illa à causa interna oriunda, adeo ut opiliones, obortâ in grege scabie, tantum non semper accusent contagium, ab ove gregi aliunde additâ inductum.

§. XXIV. Admiranda certe & imperscrutabilis est subtilitas, & virtus materiæ contagiosæ. Quis crederet, filum pure varioloso imbutum, exsiccatum, post plurium mensium intervallum, immutatam adhuc servare virtutem propriam, mole quamvis parca, subjecto idoneo applicatum, variolas excitandi? Equidem non auderem, materiæ scabiosæ qualitatem



secundum chymica principia determinare, illudque cum Maur. HOFFMANNO vel acidum, falso-muriaticum, vel sal volatile, acre appellare. Nec indoles contagii satis explicata dari potest, licet ob potentiam sese propagantem, & humores alios sibi assimilandi, quam experimur, vel fermentali, vel plantarum feminali analogam dixeris. Exerit virtutem tam insignem virus scabiosum, variolosum &c. non in corpore mortuo, sed vivo, sensatione acutissima prædito, cui lege Creatoris non possunt non proportionari respondere motus in corpore.

§. XXV. *Symptomatum* enumerationi eo magis superfedere licet, quo explicatius jam sub signorum recensione indicata sunt.

§. XXVI. Quoad *Prognosin*, præter ea, quæ in historia morbi jam continentur, docuerunt observationes, scabiem raro quidem nostris ovibus esse lethalem, restitutionem tamen sanitatis, eamque inprimis constantem, multum difficultatis habere. Lana miasmatis tenax, quam non deponere possunt oves, uti quidem homines vestes, prima eruptionis indicia sæpe occultat, sicque efficit, ut principiis non obstando, sero sæpe medicina paretur. Inveteratam autem scabiem sanationi magis resistere quam recentem, ratio & experientia confirmant. Accidit aliquoties, ut per hyemem manu nimis avara, & in stabulis frigidioribus pastæ oves, partim hyeme, partim subsequente vere, pabuli penuria emaciatae, & viribus exhaustæ, non nullæ interierint. Nescio, utrum à scabie, an potius cum scabie?

§. XXVII. Præcipua jam, & maximâ disquisitione digna est quæstio, an, & qua ratione descripta foeda & contagiosa scabies tam præcaveri, quam sanari possit? Præservationem niti evitatione causarum antecedentium, per se clarum est. Consilii ergo est, vi §. 17. n. a. quo minus tempestatis humido-frigidæ injurias pecudi, quæ per totam æstatem sub dio detinetur, effugere licet, ut eo magis curæ cordique sit opilionibus:
1.) Pascua quantum fieri potest, sicca, aprica, montosa, §. 17.
n. b.


n b. eligere. 2.) Debitis temporibus largam salis præbitionem non negligere. *) 3.) Denegata aquatio ab illustr. *de JUSTI Deconom. Schriften T. II. p. 455.* contra præjudicatam opilionum opinionem, tanquam causa multorum morborum, speciatim scabiei, accusatur, non solum quia defectus potus insufficientis digestioni, circulationi, & secretionibus impedimento est, sed & quia sic tempestate calida sitis accenditur, qua oves ad aquas vel paludosas vel putridas, si forsan in eas incidunt, hauriendas impelluntur; hinc ovibus æstate quoque aquarum vivarum vel fluviatilium copiam quotidie faciendam suadet, quibus instinctus ad bibendum, si quis fuerit, expleatur. 4.) Circumspectio omnis adhibeatur necesse est, circa translationem ovium ex uno grege suspecto in alterum sanum. 5.) Observatio in grege, opilionum curæ demandato, unius alteriusve ovis fricatu vel scalptu, in cutem earundem accurate inquirent, & primo quoque tempore suspectas solcite sepärent à sanis, hasque contagii periculo sic eximant. *ELLIS l. c. p. 131.* describit unguentum, in regione quadam Angliæ præfrigida, & frequentioribus pluviis obnoxia, usitatum, ex pice liquida, adipe, & sale comm. invicem liquatis constans, quo, totâ ovibus lana, totam cutis su-

*) *Conf. Physical. ðconom. Auszüge:* „In Schweden bestehet die Hauptforge, die Gesundheit der Schaaf zu erhalten, in Vermeidung der Feuchtigkeith. Das Salz ist auf allerley Weise ihre vornehmste Arznei.“

Idem confirmat *Schreber* in den *Samml. ðconom. Wissensch. P. I. p. 114.*

It. Leipziger ðcon. Nachrichten T. II. p. 205. Der Raude bey den Schaafen kommt man zuvor, und heylt sie auch wohl, wann man die Schaaf auf andere Wände treibet, sonderlich wo Senf, oder Psriemenkraut, Senf, Thymian, u. d. g. wachsen. Manche geben den Schaafen monatlich ein oder etliche mal Seesalz, das beste aber ist, wann man sie trocken hält, und ihnen trockenes Futter gibt, dann die Raude rühret meistens von nasser Wände her.

Addit *D. Schreber l. c. p. 360.* Ich habe die reine Tabacassche für die Schaaf, und sonderlich für das sogenannte Schmier-Vieh ungemein gut befunden, wann sie jezumeilen, und in mäßiger Quantität mit unter das Salz, so sie zu lecken bekommen, gemengt wird. Das Salz von dieser Asche befördert nicht allein die Dauung besser, sondern reiniget auch das Blut mehr, als das bloße Ruchensalz.



superficiem inungere solent, annuæ à scabie præservationis scopo. Alibi eodem, p. 132. referente, oves dicto tempore, aqua salis communis fortiter fricant, ad cutem contra morbos muniendam, quin & melioris lanæ generationem procurandam. Quid alterutrum horum valeat, experientia nostrates destituit. Salivam quoque credulo posset movere mentio l. c. p. 125. succi cujusdam evporisti, tanquam præservativi certi, ab Autore vero pro arcano habiti. An, & quales dantur herbæ, quæ pascua quorundam locorum, in quibus oves post hominum memoriam à morbis cutis fuerunt immunes, præstant adeo salubria? An potius experientia fallax? Res ad minimum ulteriori attentione digna.

§. XXVIII. Morbus ipse præsens perspectis, ejusdem indole, causis, & effectibus, indicat mutationes sequentes in corpore scabioso esse faciendas:

- a) Humores excrementitii abundantes sunt corrigendi, evacuandi, earumque congestio nimia ad cutem tendens avertenda.
- b) Stases, obstructions & scirrhescentiæ resolvendæ.
- c) Fermentum ipsum scabiosum, sive ex causa interna productum, sive extus communicatum, vel corrigendum vel eliminandum.
- d) Escharæ & squamæ ad secessionem promovendæ.
- e) Ulcerationes mundificandæ & consolidandæ, sicque cuius functionis secretoria & excretoria restituenda.

§. XXIX. Neque tamen singulis indicationibus singula opponere medicamenta intendimus: Effet enim optimum id indicatum, quod vel unicum pluribus, vel omnibus simul satisfaceret, idque quo certius, citius, tutius, quo viliori pretio comparandum, facilius applicandum, eo effet convenientius atque exoptatius.

§. XXX. Copia potius quam inopia laboramus remediorum, ex larga suppellectile pharmaceutica, quæ dictis indicationibus in homine quidem satisfaciunt; nec defui colligere, quæ hucusque consilii loco à variis in medium prolata fuerunt.

§. XXXI.


§. XXXI. Sunt, qui commendant *interne* crocum metallorum, quo alias veterinarii scopo purgandi utuntur Antimonium pulverisatum cum sale; fuliginem cum sale. Alii Herbam Sabinæ; ova formicarum cum sale; sulphur caball. In Saxonia Vinariæ in usu est pastoribus ovium pulvis ex Antimonii crudi, Tartari, & Nitri ana part. æqual. detonatis. Præscribunt alii Rad. Enulæ, Bryoniæ, Gentianæ, Lapathi acuti, Herb. absinthii, Tanacetii, Fumariæ, Bacc. Lauri, Juniperi Fol. Nicotianæ. &c.

§. XXXII. De *externis* iterum multa memorantur, partim pro lotionibus, partim pro inunctionibus. Sunt, qui suadent Decoct. Rad. Colchici, Aristolochiæ, Lapathi acuti, herb. Persicariæ, Sabinæ, Saponariæ, sulphur cum lixivio cinerum quernorum. Vel & ejusmodi Decoctionibus addunt Herb. Nicotianæ, Alumen, viride æris, acetum vini, picem liquidam, Aquam calc. v. Alii potius mercurium vivum aqua forti solutum, & aqua calc. v. diluere suadent, vel mercurium sublimat. corros. aqua plantaginis solutum, lapidem medicamento-
sum Crollii, aqua solutum. Forma Unguenti aliis videtur efficacius unguentum Enulæ cum mercurio vel dulci, vel præcipitato albo, rubro, mixtum. Aliis Axungia cum vitriolo & sulphure placet, ut plura taceam.

§. XXXIII. Non difficile esset, ex enumeratis, quibus multa adhuc addi possent, secundum regulas therapeuticas, tam pro interno, quam externo usu, varias concinnare formulas, quæ, quatenus per analogiam ab hominibus ad bruta concludere licet, salutarem sponderent effectum. Hac vice adducam saltem ea, quibuscum Experimenta sunt instituta.

§. XXXIV. Jubebatur dari singulis ovibus, scabie sicca laborantibus 1) Pulvis ex Rad. Jalapp. ℥j Antimoni. crud. ℥ß. Mercur. dulc. gran. iij. cum pasta farinacea in bolum redactus, alternis diebus ovium faucibus intrudendus, & per aliquot menses continuandus. Simul autem

- 2) Rec. Herb. Nicot. ℥ij
Ciner. clavellat.
Sulph. pulveris. ana ℥ij.



M. Decoq. aquæ s. q. ad reman. colat. Mj. Quod Decoctum locis scabiosis quotidie bis terve applicandum erat. Accidit autem hyemali tempore medicationis initio facto, quum oves, methodo non suadente, tonderentur, nec præsentaneus medicamentorum effectus sese exfereret, quin potius aliæ interirent, ut ovium Possessores, usus interni pertæsi, soli externorum usui posthac insisterent, quo tandem nonnullæ sanitati lente restitutæ fuerunt. Nihilominus diffusi ii, ad quos pertinebant oves, easdem peregre vendiderunt. Hoc itaque Experimentum desiderio nostro nondum satisfacit.

§. XXXV. Ne vero multæ recensitioni remediorum dubiorum, quæ jactuose non nunquam circumferuntur, diu immorer, illa potius memoratu digna arbitror, quæ à longis retro annis, iterato usu, vel clanculum facto, comprobata, & à Viris probis ac peritis *Collegio Sanitatis* declarata fuerunt.

Bigam intelligo topicorum, Vnguenti nimirum & Decocti, quæ, licet compositio eorum ab Autoribus tum temporis celaretur, digna tamen judicavit *Colleg. Sanit.* ut eorum applicatio graviter mandaretur, & Poliatrix accurata effectus secuturi injungeretur observatio. Quo facto, intra biennium duodecim circiter ovium greges, iique partim numerosi, sicca scabie, unicus humida, infecti, experimentis sunt subjecti.

§. XXXVI. Relationes de modo applicationis, & subsequente effectu utriusque Medicamenti huc redeunt. Separantur solcite omnes oves scabiosæ deprehensæ à sanis, seorsimque servantur. Indagantur tum, quotquot reperire licet, omnes scabiosi loci, ibidemque vel diducitur lana, vel extirpatur, ut commoda fieri possit applicatio; Latere fortiter fricatur & faucia quasi redditur cutis, sicque vel Vnguenti, vel Decocti sufficiens portio probe infricatur. Insequentibus diebus examinantur oves, annon nova accesserit eruptio, vel occulti quidam manserint loci, qui dein pari modo infricantur. Quo facto, tribus quatuorve præterlapsis diebus, crustosæ istæ squamæ dehiscunt, in lanam elewantur, cute licet hucusque callosa, sensim vero discedunt escharæ, ipsaque cutis callositatem quoque

que amittit, munda redditur, & reliquis qualitatibus spatio octo, decemve dierum ordinarie sanæ iterum similis apparet. Quodsi sanatio in iisdem locis paulo lentius succedere videatur, lotio vel inunctio secunda vice repetitur, quæ vero raro est necessaria.

§. XXXVII. Notandum etiam est, quod Autores Vnguenti interne simul scopo sanguinem purificandi suadeant unicornu ustum & ostrearum Cochleas ust. ana M^p.ij. cum sesquimodio salis miscere, & gregi trecentarum ovium pro linctu quovis octiduo, quin & triduo vel biduo exhibere. In plurimis vero gregibus experimenta, sine dicto pulvere terreo-alcalino, eodem cum effectû jam descripto, facta sunt.

§. XXXVIII. Vtunque vero brevi tempore maculæ scabiosæ, facta vel per Vnguentum, vel Decoctum, singularum perfricatione sanentur, sanatio tamen universi gregis non tam cito absolvitur. Lento enim quandoque gradu provenit malum, & pluribus in locis ejusdem ovis, & pluribus in ovibus successive propullulans. Opus vero est attentione, & cura per duos tresve menses continuos habenda, quo intervallo identidem perquirendæ sunt oves, & eruptionibus, si quæ contigerint, novis repetenda infricatio, usque dum Sanitas confirmata videatur; de qua prudentes post tonsuram demum, ubi pelvis denudata oculis clare patet, se certiores faciunt. Quin damno cautiores facti omnem sollicitudinem prius non abjiciunt, nec sanatas cum sanis congregare audent, quam proxime insequens & vernum & autumnale tempus, (utrumque enim novæ regerminationi favet,) certiores ipsos fecerit, nullum amplius sub herba latere anguem.

§. XXXIX. Eo casu, quo vestigia mali extiterunt, parabatur insuper Decoct. sequens.

Rec. Ciner. lignor. semimodium

Aquæ fontan. M^s. XX.


F. lixiv. in quo decoq.

Hb. Nicotian. ℥i^{ss}.

Sal. commun. ℥v.

Hoc tepesacto laventur oves.

Pro



Pro trecentis ovibus requiritur ejusmodi Decocti Amphora una. Eodem quoque lavacro usos se esse perhibent periti in ovibus, quæ nulla quidem manifesta scabiei signa habuerunt, at non omni tamen infectionis suspicione liberæ fuerunt.

§. XL. Facta jam mentione efficaciae laudatorum topicorum, quatenus experientia suffragatur, facile animo præfagio, quæstionem moveri, quænam sit compositio illa laudati Vnguenti & Decocti? SERENISSIMI nostri clementissimæ Gratiæ, qui vel largis præmiis bonum publicum redimere non dedignatus est, revelationem illorum grati acceptam referimus.

Vnguentum ita præparatur:

Rec. Acet. vin. Ms ij.

Axung. porc. ℥j.

Sal. commun.

Calc. v.

Hb. Nicotian pulv. aa. Mij.

Piper. ℥iv.

Sulphur. pulver. ℥β.

Coq. invicem leni igne. Sub finem add.

Aq. fort. ℥iv — vj.

Denuo leniter coq. cavendo, ne catinum transcendat, sicque fiat Vnguentum debitæ consistentiæ.

Pro Decocto

Rec. Hb. Nicotian.

Picis liquidæ aa. ℥iij.

Alumin.

Sulphur. pulver. aa. ℥iβ.

Sal. commun. ℥iijβ.

Vitriol. commun. ℥j.

Coq. cum Aquæ fontan. Mf. vj. per horæ fere spatium, donec clarescat, tum decantetur.

Mf. j. hujus Decoct. pro XXX — XL. ovibus sanandis sufficit. Addendum & hoc est, quod in scabie humida in Vnguenti confectione postulent periti additionem virid. æris, & lixiv. ciner. lignor.

§. XLI.

§. XLI. Nolo jam mixtionem ingredientium, & concinnitatem Formularum secundum principia chymica, quæ Disceptationi facile ansam præbere possent, examinare, contentus argumento à posteriori, cum tamen nec rationes pro demonstrando modo salutariter agendi, desint. “De limitibus Philosophiæ Medicorum practicæ, & quousque experientia sit consulenda, effectus ab applicatione ad — — vivum corpus exponens sola, egregia existant verba Excell. D. Prof. GME-LIN in Dissert. de Tincturis Antimon. A. 1759. ed. §. 21.

§. XLII. Referre potius huc placet consonans remedium, quod in Hungaria contra scabiem ovium usitatum esse, physikal. oecon. Auszüge T. I. P. I. p. 132. referunt. Parant lixiv. ex Fol. Tabaci, cineribus clavell. & ciner. lign. invicem coctis, in cujus decantati Ms. X—Xij. soluunt Vitrioli cærul. virid. æris aa. ℥j.

Quocum aliquoties lavant oves tempestate serena, sic evanescit omnis scabies, nova in locis morbosis succedente lana.

Alii folia Nicotianæ aqua simpl. decoquunt, cujus ℥X. Aceti vini Ms. j. Vitriol. cupri & virid. æris aa. ℥i℔. addunt, æque felici cum successu.

§. XLIII. Nec à scopo nostro abludit mentio Unguenti analogi, quod in Novellis medicis, (Gazette salulaire,) A. 1762. nr. 32. in tinea nunquam frustratum esse scribitur.

Rec: Ol: Nuc. ℥℔.

Butyr: vet. ℥iv:

Sulphur: pulveris. ℥j.

Rad: Pyretr. pulv. ℥ij.

Piper. ℥iij.


Sal: Gemm. ℥℔.

Ebull. per quadrantem horæ in oleo & Butyro. Colat: add.

Fuligin. ℥ij.

M. Omni biduo ungatur mane caput ægri, bene postea operiendum. Fatendum tamen est, in hoc unguento virtutem primariam sulphuris esse, repellentem, non semper fidam.

§. XLIV. Cæterum licet notum sit, mercurialium usum



externum, vario modo præparatorum, in morbis cutis chronicis, vel pertinacissimis, esse omnium efficacissimum; experientia tamen hucusque nos de eorum applicatione ad oves destituit, quæ ergo tempori & ulterioribus experimentis est relinquenda.

§. XLV. Recensito dictorum topicorum effectu proximo, eorundemque compositione communicata, non reticenda quoque est, ad tuendam fidem historicam, mentio eventus phenomenon consequentium. 1) Fatendum est per omnia hactenus gesta, opinionem præjudicatam contra curas scabiei ovium, animis plurimorum, nondum esse ereptam. Fatendum quoque est, accidisse, ut in grege infecto scabies semel depulsa, anno insequente denuo redierit. Ideoque 2) non solum proximis quoque annis, non paucis rebus suis æconomicis melius consultum videbatur, greges scabiosos, antiquo more, finibus suis ejicere, pretio licet viliori vendendos, quam dubiæ, ut ipsi putarunt, medicationi subicere; sed etiam permulti oves, quam primum ope Decoct. vel Vng. à scabie liberatæ fuerant, meticulosi extraneis emtoribus, minori tum quidem cum damno, dederunt. Quo ipso occasionem, observandi constantiam sanitatis obtentæ, eripuerunt.

§. XLVI. At non omni tamen excidimus voto: Servati sunt aliquot greges, qui sanitatem restauratam post annum intervallum illæsam comprobarunt, malo non amplius recrudescente. Immo & testimonium habemus, quod oves pluribus abhinc annis, per usum externum Decocti clanculum factum, à scabie repurgatæ, & cum aliis iterum congregatæ, per multos insequentes annos salvæ perstiterint. Addo, si acciderit, ut post semestrem vel annum intervallum idem morbus in eodem grege, antea sanato, denuo proveniat, dubium est, utrum ex retento fermento pristino vera recidiva, an saltim recursus ex nova causa mereatur appellari.

§. XLVII. An ergo & quatenus curis unctoriis, quæ nullo non tempore fuerunt suspectæ, fidere licet? An ad malum radic-

dicitus extirpandum possunt facere, ut stabilis obtineatur sanitas?

§. XLVIII. Certum est à posteriori §. XXXVI. indicationem §. XXVIII. 2dæ, 4tæ & 5tæ per bigam topicorum descriptorum satisfieri; escharas nimirum separando, ulcerationes mundificando, & callositates resolvendo. Quo ipso id commodi obtinetur, ut multiplicationi fermenti, in cute demum nascituri, obex ponatur. Quoad indicationem 3tiam videtur verosimile, materiam ulceratam, quæ fermenti contagiosi indolem induit, per potentia alia ingredientia, inprimis unguenti posse immutari, partim etiam repelli. Nec quoad primam indicationem plane ipsis denegari potest virtus, in humores & viscera interiora agendi. Potest enim pars extus applicatorum resorberi, cum humoribus misceri, sicque organorum se- & excretoriorum functio sollicitari. Ipsa Nicotiana veritatem hujus asserti testatur, quemadmodum alias mercurius, cantharides, &c. His omnibus vero positis clarum nihilominus est, per topica nostra non satis expleri ea, quæ secundum indicationem 1mam & 3tiam requiruntur; scilicet ut humores excrementitii abundantes corrigantur, evacuentur, fermentum eliminetur.

§. XLIX. His ergo præmissis ad quæstionem propositam non difficilis est responsio.

a) Scabies si per contagium extus fuerit communicata, efflorescentiæ adhuc paucæ, adeoque fermentum in corpore nondum multiplicatum, i. e. si fuerit incipiens, sola externa tuto omnino absolvere possunt sanationem, in ovis cæteroquin sana.

*) Natura enim vel autocratrice, vel per resorptam materiem medicamentosam stimulata, par est expellendæ, si qua repulsa fuerit, materiæ peccanti, per ordinaria organa excretoria bene vigentia, favente inprimis tempestate calida & sicca. Contra vero, si

b) Mul-

*) Confer Tissot Anleitung für das Landvolk Cap. XXV. De Scabie, p. 340.
„Wenn man sich die Krätze durch Ansteckung zugezogen, so kan man ganz dreuste die Salbe (aus Schwefel ic.) gebrauchen, so bald — ohne — Purgier-Mittel.



b) Multiplicata ulcera, & ad panniculum usque adiposum penetrantia, statum jam inveteratum indicant, vel ex multitudine simul in eodem grege ægrotantium suspicio oritur, insalubres tempestates & pascua nociva insignem totius humorum massæ depravationem, quin viscerum labes, induxisse, tuta omnino fides haberi nequit solis externis medicamentis, sed tum potius adjuvanda erunt simultaneo internorum usu, humores corrigendo, se- & excretiones reliquas augendo, & subitam à cute repulsionem impediendo, ne qua in humorum massa remaneat materia peccans, metuendarum recidivarum causa.

§. L. Quum itaque ad sanationem tutam, absolutam & stabilem remediis internis multoties opus sit, & sine eorum adjutu nimis longum sæpe tempus requireretur §. XXXVIII. eo usque externorum usum repetere, donec omnis omnino materia fermentalis, functionum se- & excretionum naturalium beneficio, è corpore proscripita sit; curæ cordique fuit O. Parenti inprimis, medicamentorum aliquot efficaciam, hominibus alias proficuum, in ovibus etiam experiri. Obtulit sese elapso anno occasio in XIV. ovibus, scabie sicca non leviter tentatis. Suasit pulverem ex Rad. Enul. part. iij. Sulphur. p. i, Exhibebantur singulis ovibus aliquot pugilli illius cum sale mixti, quotidie lingendi. Post XIV. dies nullus adhuc notatu dignus observabatur effectus, quare ad accelerandam sanationem in Xij. ex illis simul etiam Decocti supra descripti usus externus conjungebatur, reliquis vero duabus solus pulveris usus, at auctiori dosi, quotidie nimirum unc. β. cum tantillo salis faucibus intrudendo, continuabatur. Quo facto non solum duodecim priores, brevi tempore, sed & posteriores duæ, quod præcipue in optatis erat, post v—vj. hebdomadam spatium integre convaluerunt. Experimentum hoc elapsa hyeme instituebatur, per æstatem insequentem oves sanatæ servabantur, nec quidquam inali, quantum novi, hucusque recruduit.

§. LI. Optavit vero O. Par. medicamentum, quod, si non breviori tempore, attamen minori dosi, & viliori pretio scopum

pum attingeret. Mercurialium varii generis, ipsius quoque mercurii sublimati corros. virtute, in variis & pertinacissimis humani corporis, speciatim quoque cutis chronicis morbis, sexcentis comprobata experimentis, nullus dubitavit, in ovium quoque scabie ejusdem periculum facere.

LII. Ineunte Mense Mart. anni currentis indicabantur duæ oves anniculæ, in quarum una, cutis quoad statum, in altera unam partem escharis scabiosis siccis defœdata erat. Vtrique dabatur quotidie mercurii subl. gran. $\frac{2}{3}$ in aquæ circiter ℥j. pro potu xij. dies continuos; postea novis subinde conspicuis maculis, augebatur mercurii dosis, ut singulis diebus aqua, mercurii gran. i. continens, vel sponte haurienda, vel faucibus earum infundenda esset. Elapsa tertia hebdomade observabantur escharæ in circumferentia à cute separatæ, eæque sensim sensimque penitus solutæ in lanam protrudebantur: Sub finem 4tæ hebdomadis, cutis callositate in mollitiem mutata, oves absque topicorum usu, sanitati restituebantur, quæ cæterum per totum sanationis tempus bene se habuerunt.

§. LIII. Similis casus ejusdem anni, virtutem virus prudenter adhibiti comprobat: Poliater quidam Experient. duas aluit oves, scabie jamjam radicata affectas. Suasu O. Par. dedit utrique mercur. sublim. gran. β. aquæ ℥β. dilut. per X. dies, per insequentes alios decem, quotidie gran. i. Quo usu integre convaluerunt oves, pascuo æstivo subsequente optimum corporis habitum nactæ.

§. LIV. Felix utriusque experimenti eventus animum addidit, gregem CCXXXIV. ovium Mens. Jun. anni curr. plurimis scabiosis inquinatum, scopo partim curativo, partim prophylactico tractandi. Quum vero oves æstate herbis recentibus pastæ à potu ordinarie abstineant, prior modus mercur. sublim. adhibendi locum non habuit. Suadebatur ergo ejus aquæ Q. S. solut. pars i. cum sulphur. p. iiii. Rad. Enul. p. VI. Farinæ p. viij. in massam pastaceam subigere, ut æqualis fieret mercurii distributio, postea exsiccare, & in pulverem contundere, qui cum sale mixtus ovibus quotidie lingendus proponebatur.



nebatur, eâ quantitate, ut mercurii dosi pro die à gran. β. ad gran. i. augetur. Agnis pro ætatis ratione minor assignabatur portio. Mensis spatium medicatione finita, salutaris ejusdem effectus publico testimonio confirmatus est. Fortunâ vero minus secundâ accidit, ut, durante medicatione, tempestas pluviosa fere continua irrueret, cujus causa medicamenti usus per aliquot quandoque dies interruptus fuit: Factum insuper est, ut eo ipso tempore, ex grege isto XVI. oves perierint. Facile inde colligi potest, possessoribus ovium factum hoc non levem suspicionem & diffidentiam in adhibita medicamenta excitasse. Inquirentes vero alii periti in causam mortis earum, experti sunt, gregem istum, antecedente hyemali præfrigido tempore sufficientis pabuli penuria laborasse §. XXVI. nec mirabantur jam id accidisse, cum in aliis quoque gregibus, parcius justo pastis, sine scabie præsentis, sine adhibitis medicamentis, præterita æstate, & fere eodem tempore, ex hac ipsa causa perierint. Vtunque igitur dictæ circumstantiæ, & aliæ oves ejusdem gregis, quæ sub usu sanæ perstiterunt, & ex pastu incrementum ceperunt, innoxiam medicamenti adhibitionem vindicent; notandum tamen duco, multa opus esse circumspeditione & prudentia, ut tantæ virtutis medicamentum in magno aliquo grege ita æqualiter distribuatur, ne ovis una præ altera justo majorem capiendo dosin, noxam sibi contrahat, quin illud aqua satis dilutum propinari mallet, quam in pulvere quantumvis discontinuato.

§. LV. Denique non omittendam putavi mentionem rarioris alicujus exempli de ovibus, ex scabie sequenti modo convalescentibus. Aliquot nimirum abhinc annis Carbonarii cujusdam, in sylva hercinia, prope Alpirspacum habitantis, septendecim oves, scabie sicca, hyemali tempore tentabantur, quæ ita quidem invaluit, ut crustis scabiolis, veluti cortice obductæ fuerint. Consilii tum temporis inops nil quidquam remediorum adhibuit. Ineunte vere impuras istas oves, tonsa prius lana, pascuo cuidam solitario commisit, quo per aliquot menses pastæ, miro certe aspectu, felicissime ab omni scabie repur-

repurgatæ observabantur. Eadem felicitate medicationis naturalis ovium suarum fruitos esse tres alios cives in Brisigavia, à Viro fide digno subaudivi.

An ergo scabies per se, absque medicamentis sanabilis? Nullus equidem dubito, medicamenta ab ipsa provida natura ovibus in pascuo, quo fruebantur, fuisse suppeditata. At doleo, viam mihi non patere, in notitiam plantarum & telluris perveniendi, quæ illas alit, & quibus forsân præ aliis, hoc sine salutaribus abundat. Operæ omnino pretium fuerit, sollicitius in medicamentosa ejusmodi, si quæ dantur, pascua investigare, istudque salutare plantarum genus observare & de-
tegere. cf. §. p. 6. b.

§. LVI. Omnibus, quæ hucusque dicta sunt, in unum collectis, quamvis ab æquis rerum æstimatoribus facile concessum iri confidam, quod morbus ovium nostrarum, quem Rubrum Dissertationis indigitat, sanationem non respuat; quum modo externis, modo internis, modo his illisque conjunctim adhibitis, feliciter cesserit: Nolim tamen inficias ire, rem omnem, in toto complexu consideratam, non carere difficultatibus hinc inde intervenientibus, præsertim, si non de singulis ovibus, sed de gregibus universis sanandis cogitetur.

Deest nimirum non raro hominum vel fide vel experientia prædicatorum opera; deest opportunitas locorum, oves vel infectas, vel nuperrime sanatas, à sanis debito intervallo, tum in stabulis, tum in pascuis cohibendi; desunt tecta continuas pluvias vel reliquam cœli injuriam à gregibus ex voto arcendi. Et ejus generis desideria plura à pluribus proferri posse, nullus dubito.

§. LVII. Neque vero existimem, his difficultatibus omnem, de qua egimus, operam ita eludi, ut pro perdita censi debeat.



Eo certe, quod vidimus, experimentorum, quæ instituta sunt, & captorum de iis consiliorum usus pertigit, ut non solum vera morbi indoles in aprico sit, sed etiam medendi ratio si non constantem semper, omnibusque probatam sanitatem, eam tamen ovibus conciliare possit, quæ aut peritis pecorum asservationem, aut subtimidis saginationem & venditionem non detrimentosam suadet.

§. LVIII. Ulteriori itaque attentione, & experimentis frequentioribus, nisi me omnia fallunt, res hæc est digna.

Hinc est, quod maximopere optem, ut qualescunque mei conatus, alios certe, penes quos major & dexteritas, & crebrior experimentorum occasio est, excitent, quo, ulterioribus determinationibus & supplementis, commodo Patriæ publico grata inde fiat accessio, & desideratus obtineatur

FINIS.



PRÆ-

PRÆNOBILISSIMO atque DOCTISSIMO.

Dn. CANDIDATO AVCTORI

S. P. D.

P R Æ S E S.

Gratulaturus TIBI, quos jure omnino mereris, supremos in Arte nostra honores, peropportune recordor sciti illius Græcorum proverbii, quo nullius bonæ rei homines ἀριθμὸς dicuntur. Ita ARISTOPHANES. Νεφ. Ὅντες λίθοι, ἀριθμὸς, πρόβατα, eumque imitatus HORATIVS:

Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.

Ep. I, 2, 27.

hoc est, nos sumus turba, sine nomine, sine virtute, sine doctrina & dignitate, vernacula lingua: Die nur helfen da seyn, um nur die Zahl auszumachen.

Homines de grege hoc, ut alibi, ita in orbe quoque litterario, medico etiam, promotos inter & promovendos deprehendi, apud omnes ingenuos atque cordatiores res dudum confessa est ac manifesta. Vno in



exemplo sint soli Medici non anatomici, præ aliis Medicorum nomine indignis plane ἀριθμός.

TE, JVCVNDISSIME AMICE, de hoc promovendorum grege non esse, id vero tum ante examina TVA academica, tum in his ipsis, unanimi Ordinis nostri adplausu egregie comprobasti. Neque in reliquis etiam rebus ad genuini nominis medicinam pertinentibus, ἀριθμόν TE inveniri passus es unquam. Coronasti insuper studiorum TVORVM curriculum animi habitu, naturæ moderatiori pulchre consentaneo, morumque probitate conspicuo. Inclarescas ultra casto eruditionis atque virtutis TVÆ cultu. Nulla, ut cum SENECA ex *Epist. l. 79.* TE adloquar, *nulla virtus latet, & latuisse non ipsius est damnum. Veniet, qui conditam & malignitate sæculi sui suppressam dies publicet. Paucis natus est, qui populum ætatis suæ cogitat. Multa annorum millia, multa populorum supervenient* (in altera maxime vita.) *Ad illa respice, etiamsi omnibus tecum viventibus silentium livor indixerit. Venient, qui sine offensione, sine gratia judicent.* Ita vero gratulor, atque iterum iterumque ex animo TIBI gratulor merita meritorum
Tvo.

TVORVM præmia, præsentia & futura, futūra, repe-
 to, non eadem, credas, mox & ubique futura. His-
 ce nominibus gratulor non TIBI tantum, quem egre-
 gie facta pericula ita commendant, sed & Patri Patruo-
 que TVO, Duumviris germano fraternitatis munerum-
 que splendore inter nos illustribus. Gratulor reliquis
 omnibus Caritatibus TVIS, gratulor Patriæ, mihi de-
 nique, Præceptori, Præsidi & Promotori nobilioris hu-
 jus nominis Candidati. Vale quam beatissime, meque,
 quod ultimum est, de quo TE compello, & in poste-
 rum amare, mihi que favere non desine, qui vicissim
 præstare non desinam, quæcunque expectare poteris à
 REVSSIANI nominis observantissimo.

è Museo d. XIX. Dec.
 MDCCLXIII.



